



1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.



1689,

1. Barkhous, Valentinus: De libertate
2. Boeclerus, Jo. Hartman: Cicero.
3. Meck, Johann: De reconventione.
4. Deckherus, Fidericus: De possessione creditoris
in pignore I
5. Deckherus, Fidericus: De possessione creditoris
in pignore II.
6. Deckherus, Fidericus: De possessione creditoris
in pignore. Disp. III
7. Deckherus, Fidericus: De locatione et conductione
8. Griesmayer, Albertus Fidericus: De jure naturalae
9. Hanwacker, Johann Fidericus: De expectatione
10. Horlacher, Sigismundus: De subinfestatione
11. Konow, Matthias: De incendio
12. Lyserus, Lucas: Curator bonorum universorum.
13. Meier, Fidericus: De pactis legitimis

1659.

14. Pahlmann, Henricus: Jus militum favorabile
15. Reber, Johannes: Vindiciae solemnitates testa-
mentariorum Turbiniensem.
16. Reber, Johannes: De cautione quest usufructuarie
civiti sine decretali.
17. Sachs, Joh. Melchior: De consecratione in genere
18. Hoerner, Gaborpeter: De potestate politica circa sacra.
19. Wetken, Reinholdus: De jure asortny'osus sine
retractis. 2 Exempl

1660

1. Becht, Jacobus Theobaldus: De inimicis
2. Boeclerus, Jo. Henricus: Miles captivus
3. Boeclerus, Jo. Henricus: De eo, quod civitas egit.
4. Intenkarup, Albertus: De mero imperio
5. Hagemeister, Franchiscus: De causis mitigandis pac
narum.

1660


6. Mader, Jacobus Chris. Inphorus: De emphyteusi
7. Reber, Johannes: De acquisitione per universitatem
decuriam, et devolutiva ex iudicio testatoris ex-
presso et legali tacito.
8. Rodkenbauch, Johannes Conradus: De famosis libellis
sive ut vulgo vocantur, pasquillis
9. Sachs, Johannes Melchior: De venatione Romano. Ger-
manica.
10. Sachs, Johannes Melchior: De alimentis
11. Thebesius, Georgius: De scopulis.
12. Ursinus, Johannes: De contractu arthali.
13. Wittenb., Valentinus: De iure retentionis.


[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



[Faint, illegible handwritten text visible on the left edge of the page]







I

T

S



ANALYSEOS

7. 231

L. Res pignoris. 37. D. de acquirend.
vel amittend. possess.
qua agit

1659 5

De

POSSESSIONE
CREDITORIS
IN PIGNORE

DISPUTATIO SECVNDA,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
IN CELEBERRIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE,
solennis exercitii gratia proposita

à

FRIDERICO DECKHERRO J.U.D.
Pandectarum Professore Ordinario,

RESPONDENTE
JACOBO CHRISTOPHORO MADERO,
Argentoratensi,

Die .15. Mensis Oct. hora & loco
consuetis.



ARGENTORATI,
Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LIX.

DET 125.5

Epistola Dedicatoria,

V I R I S

Nobilitate, Amplitudine, Prudentia,

Gravitate Excellentissimis.

DN. CAROLO EGGEN. in Inclyta
hâc Repub. XV. Viralis Collegii Assessori
dignissimo, Propatri meo ætatem deve-
rando.

DN. JOH. ADAMO SCHRAG. Jcto
Celeberrimo, Reipub. huius, nec non diver-
forum Statuum Imperii Consiliario & Ad-
vocato laudatissimo.

Dn. Mæcenatibus, Evergetis, Fautoribus,
& Patronis meis magnis.

Receptum est apud omnes ferè, quã-
do cū disputatione aliqua in publi-
cum prodire volunt, ut eam alicui
Patrono inscribant, & offerant, simulque
rationes, sæpe numero multas, quare hoc
facere soleant, adducant. Secutus & ego
hunc modum receptum & disputationem
hanc secundam commentationis. *ad. l. res*
pignoris 37. D. de acquir. vel amitt. poss. à
Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissi-
moq. Dn. FRIDERICO DECKHERRO
I.V.D. & in Almâ hâc Argentoratensium
Vniuersitate, Pand. Prof. Publ. Patrono,
Pro-



232

Promotore, atq; Praeceptore meo, omni obser-
vantia, nullo non tempore prosequendo, pro-
positæ, mihi defendendam oblatam VV.
NN. & Excellent. perpetuæ commen-
dationis ergo, & observantiæ meæ erga
vos, inscribere nominatim, offerre & de-
dicare non dubitavi, quam ut etiam sereno
& benevolo vultu accipere velitis, subnixè
oro & opto. Paululum quidem est, verum
grandiora & exquisitiora offerant, quibus
ea copia est, ego talia cum non habeā, VV.
N. N. & Excell. studebo venerari. Accipite
ergo Viri Nobilissimi & Excellentissimi
hoc qualecunque amoris & venerationis
meæ erga vos pignus, eo quo offertur ani-
mo, quod si fiet, calcar mihi ad majora pro-
sequenda additum putabo. Quod superest
Viri Nobilissimi & Excellentissimi, me Vo-
bis commendatum benige habete, mihiq;
favere pergite, Deum ter. opt. max. pre-
catus, ut VV. N. N. & Exc. Sibi, Suis, Publi-
cæq; utilitati diu sospites, diu felices & in-
columnes conservet.

VV. NN. & Excell.

Devotissimus Cliens,

JACOBVS CHRISTOPHORVS
Mader. Argent.

Ad præcellentem Dominum Jacobum
Christophorum Maderum Respondentem.

MAdere, abiecta leviorum indagine rerum,
Totus in Astrææ scita sacrata vacas.
Otia cum fugias, sinuosa volumina juris
versans, & Themidos gnaviter arva colens.
Nec sudare negas : scis quod sudore benigni
Omnia Di vendant, absque labore nihil.
Perge parum, jamjam dabitur tibi cernere portum,
Perge parum, à meta non procul ipse abes.
Maeste animo, summi titulos meditatur honoris.
Musa tibi : Spondet clara brabea Themis.

Scipsit benevolo affectu

PRÆSES.

Quod



Quod Deus bene vertat!

DISPUTATIO II.

64.

Ræmisimus hætenus in explicatione Legis nostræ terminorum ambiguum explicationem, ejusdemq; summam subjecimus, sequitur, ut de ejus casu & divisione videamus.

65. Cum autem in formatione casuum præ pluribus aliis glossæ autoritas emineat, merito casum ab ea formatum primo loco notabimus, cuius verba hæc sunt: *Obligavi tibi fundum vel domum, & tradidi, tandem fundum istum vel domum à te conduxì, & convenit ut pro Colono sim in isto agro, vel sim pro Inquilino in domo, dicitur quod retines possessionem per me.*

66. Verum cum supra *th.* 56. & 57. dictum sit, verbum Legis nostræ, **C O N V E N I T**, media producta, exaudiendum non esse, nec de casu, ubi inter debitorem & creditorem speciali pacto, ut creditor possideat, convenit, loqui (hoc enim minus dubii haberet, cum quilibet Dominus, aut possessor verus, speciali pacto,

E quem

quemcunque detentatorem verum possessorem face-
re possit. *l. si quis Vi. 17. §. differentia. i. cum l. seq. D. de
acquir. possess. qua de re infra, ubi de constituto possessorio
dicturi sumus, pluribus tractandum erit.* At verò hoc
in locatione conductione, citra omnem specialem
conventionem vel pactum, ipso jure contingit, ut con-
ductor possessionem, si quam antea habuit, amittat,
locator verò eam retineat, *l. si pignus. 37. D. de pignorat.
Act. l. non solum. 33. §. ult. D. de usurpat. & usucap.*) sed
potius vocem **CONVENIT** media correpta; idem quod
JURIS ESSE. *d. l. eum bonis. 87. D. de acquir. hered.* aut
INTELLIGI DE JURE ITA ESSE *d. l. 33. §. ult. D. de usurpat.*, si-
gnificare, inde fit, ut casus à glossa propositus, inten-
tionem legis nostræ non exhauriat, nec etiam Haloan-
drinæ lectioni conveniat.

67. Placet itaque alium, utrique lectioni ma-
gis convenientem casum hic subjicere: *Titius à
Mævio mutuo accepit. 100. in securitatem
huius debiti jus hypothecæ in prædio suo con-
stituit, ipsius etiam prædii possessionem Mæ-
vio tradidit: deinde illud ipsum prædium
Titius debitor, & dominus à Mævio credi-
tore conduxit, quæritur, uter possideat prædium,
an Titius? an Mævius? Respodet Jureconsultus,
Mævium possidere per Titium: quamvis e-
nim Titius prædii dominus sit. *l. pignus. 9. Cod. de pign.
Act. l. cum & sortis. 35. §. pignus. i. D. d. tit.* (qui alias rem
propriam regulariter conducere nequit. *l. neq. pignus.
45. pr. D. de Reg. Jur.* Vsum tamen rectè conduxit. *d. l.**

35. §. 1. D. de pign. Act.) eique etiam naturaliter insistat. l. naturaliter. 12. pr. D. de acquir. vel amitt. possess. quia tamen prædium illud, locavit Mævius, conduxit Titius, qui ipse in prædio, si urbanum sit inquilinus: si Rusticum, Colonus reperitur: inde sequitur Mævium etiã per ipsum Titium prædium possidere videatur. l. si aliquam rem. 28. junct. d. l. 17. §. 1. & l. 18. pr. D. de Acquir. vel Amitt. Possess.

68. Non possumus tamen hic præterire elegantissimum casum huius legis nostræ, ab Amplissimo Dno. D. Rebhan. Facult. Jurid. seniore, collega honoratissimo, inter opponendū adversus disputationem præcedentem propositum, qui licet cum lectione Haloandrinã non prorsus conveniat, Florentinæ tamẽ lectionis obscuritatem & difficultatem elegantissimè mitigat, sensumq; faciliat, quẽ ex l. si id quod. 25. §. & per Colonos. 1. & l. qui universas. 30. §. ult. D. de acquir. vel amitt. possess. nisi memoria nos fallat, hoc modo induxit: quod regula hæc juris: Creditorem rem sibi pignori datam, possidere, ex tot juris locis evidentissimis, notissimum sit, imprimis ex l. in hac actione. 3. §. sciendum. ult. ff. ad exhib. l. cum & sortis. 35. §. pignus. 1. l. si pignus. 37. l. debitor. 40. §. solut a. 2. D. de pign. Act. l. possessio. 1. §. per servum. 15. D. de acquir. possess. & passim. Eademque variis explicetur & extendatur casibus. Quod sc. non tantum procedat. (1.) quando ipse creditor rem naturaliter teneat, dd. ll. Verum etiam (2.) si fundum pignori datum alii locaverit (posse enim creditorem prædium ex causa pignoris sibi obligatum locare, patet ex l. creditor. 23. pr. D. de pign. & hypoth.) possidere creditorem per colonum per l. si id quod. 25. §. & per colonos. 1. D. de acquir. possess. Imo (3.) per coloni colo-

E 2

num



num, sive subconductorem, quod nempe primus
 conductor, alii rem illam, seu fundum locaverit. per *l.*
qui universas. 30 §. si ego. ult. D. d. t. & non tantum si his
 casibus extraneus sit, qui talem conduxerit, vel subcon-
 duxerit, sed & (4.) per ipsum dominum seu debitorem,
 si ipse conduxerit, *d. l. cum & sortis. 35 §. 1. d. l. si pignus. 37.*
D. de pign. act. aut (5.) precario rogaverit. per *l. non solum.*
33 §. sed rem pignori. 6. in fin. D. de usucap. d. l. 35 §. 1. de
pign. act. l. certè. 6 §. quæsitum est. 4. D. de precar. An au-
 tem (6.) & hoc casu creditor rei pignori sibi datæ posses-
 sionem retineat, si alii cuiquam locaverit, hoc pacto,
 ut dominus sive creditor sit colonus? Resp. Jctus in
l. res pignoris. 37. D. de acquir. possess. & hoc casu credi-
 torem rem sibi pignori datam per hos possidere. Ar-
 bitratus itaque. *h. l. 37. D. de acquir. poss.* Jctum non ite-
 rum notissimam illam juris regulam, de possessione
 creditoris in re pignori data. *d. hac. l. 37.* ex verbis penè
 ad hunc sensum eruendum, contortis, inculcare, sed
 casum alium, cæteris alibi annotatis, quadantenus dif-
 ficiliorem proponere & decidere: maximè propter an-
 tecedentè. *l. qui pign. 36. d. t.* ubi Jctus quasi paradoxon
 hoc tradere videatur, dominum rem pignori datam
 possidere, sed etsi precario rogaverit, &c. putavit hoc
 posito, casum simul & lectionem verborum sine ulla
 difficultate perspicuam & concinnam, nempe: *Res*
pignoris nomine (creditori.) *data & possessio-*
ne tradita, deinde à creditore conducta (est
 sc. res illa pignori data, ab extraneo quopiam: inter
 quos) *convenit, ut is qui hypothecam dedis-*
set (sc. dominus sive debitor) *sit pro colono in agro*
 (posi-

(posito sc. agrum pignoris nomine datum fuisse) *vel pro inquilino in aedibus* (sc. si aedes pignori traditæ fuerint:) quæritur utrum & hoc casu, & per quem creditor possideat? Resp. Jctus) *per eos* (conductorem sc. primum, & dominum seu debitorem) *creditor possidere videtur*. Quæ responsio & certa & juridica, per rationem, in *l. qui universas. 30. §. si ego tibi. 6. in fin. D. de acquir. poss. junct. l. 30. §. 1. eod. l. non solum. 33. §. si rem pignori. ult. D. de usucap. l. si pignus. 37. D. de pign. act. add. l. 6. §. 4. D. de precar.*

69. Rationes ex quibus hic casus probabilis fit, sequentes potissimum reperiuntur: primo, quia casus glossæ, eique similes & inde promanantes quæstiones. *An nimirum dominus conducens rem propriam, possessionem amittat, aliumque possessorem faciat, in l. si quis vi. 17. §. differentia. 1. cum l. seq. l. si aliquam rem. 28. D. de acquir. vel amit. poss.* *Vt & an creditor habens possessionem rei hypothecæ nomine obligatæ, eamque locans debitori, retineat possessionem & per ipsum dominus possideat per l. si pignus. 37. D. de pign. act. & aliis juris textibus.* jam ante satis dilucide decisi reperiantur, probabile non est Juris Compilatores unam eandemque quæstionem toties ex pluribus Jctis repetere & deducere voluisse. *arg. l. tanta pr. ibi, ut nihil neque contrarium, neque idem, neque simile. Cod. de vet. jur. Enucl. and.*

70. Videtur, secundo, id ipsum urgere verbum

E 3

CON-



CONVENIT, nam cum ad possessionem creditor conventionem speciali opus non habeat, quippe quod creditor possessionem consequatur ipso jure, si res hypothecæ nomine obligata ei tradatur à debitore, etiamsi hoc specialiter non convenerit. *d. l. 35. §. 1. d. l. 37. D. de pign. act.* consequens esset voculam hanc superflue adjectam fuisse: At si verbum, CONVENIT, abstrahatur à consecutione possessionis, & applicetur locationi faciendæ debitori, conventio superflua non est, sed necessitatem ineundæ locationis cum debitore injungit, tū creditori, tum illis, quibus res à creditore locata est.

71. Urget tertiô vox DEDISSET, ex qua colligi posset, textum ita accipiendum esse, quod plures fuerint conductores [successivi] quorum unus is erat, qui hypothecam dedisset, alter vero tertius aliquis, hoc sensu, etiamsi non tantum extraneus quidam conduxisset hypothecam, sed etiam si conductor dominus & debitor esset, & hypothecam dedisset, tamen per utrumq; creditorem possidere.

72. Maximè verò movent verba finalia legis nostræ, *per eos creditor possidere videtur.* Vbi relativum pluralis numeri eos necessario pluralitatem personarum intervenientium exigere, admodum probabile est: cum itaque verum sit etiam per plures ordine successivo nos possidere posse. *d. l. 25. §. 1. d. l. 30. §. fin. D. de acquir. vel amitt. possess.* pro inconvenienti minimè haberi debet, si quis dicat ex dictis legibus, præsupponendos esse plures locatores & conductores successivos, ad hoc ut relativo eos satisfiat.

73. Quamvis autem hæc, quæ à thesi 68. hactenus allata sunt, multiplici ratione propugnari possint, quia

quia tamen in disputatione præcedente, & imprimis in explicatione terminorum ambiguum, in diversam i-
vimus sententiam, ne in incerto vagari videamur, ca-
sum superius th. 67. propositum, sumus defensuri.

74. Pergimus ad legis divisionem, cujus tres pu-
tamus esse partes, *prima pars* propositionem princi-
palem; *Altera* responsionis rationem: *Tertia* respon-
sionem ipsam continet.

75. Prima pars continetur his verbis: *Re pi-
gnoris nomine data, & possessione tradita,
deinde à creditore conducta.* Vnde hæc quæ-
stio principalis deducitur, *Si creditor, cui res hy-
potheca nomine tradita est, locet eam debi-
tori, an debitor istam rem verè possideat, an
verò creditor per ipsum debitorem possideat?*

76. Ad huius quæstionis enodationem impli-
citè duæ aliæ quæstiones præmittuntur: Prima est,
*An creditor ex sola constitutione hypothecæ,
ipsius rei hypothecæ nomine data acquirat
veram possessionem.* Altera. *An creditor,
cui rei hypothecæ nomine data possessio tradi-
ta est, verè eam possideat?* quæ duæ quæstiones
in hac lege non expressè determinantur, sed quia in a-
liis legibus decisæ reperiuntur, ut certæ, præsupponun-
tur; Omnino itaque operæ precium, & ad illustratio-
nem quæstionis principalis necessarium erit, antequã
ad istius tractationem perveniamus, prius in has paulo
altius inquirere.

77. Cir-

on-
cre-
po-
mfi
D. de
e ad-
ur à
faci-
ces-
, tū
t.
lligi
fue-
qui
sen-
iffet
ebi-
mq;

no-
Vbi
tem
pro-
rdi-
o. s.
mi-
præ-
ores

cte-
sint,
quia



77. Circa primam quæstionem præliminarem, utrum nimirum creditor eo ipso cum ei à debitore in aliqua re immobili hypotheca constituitur, veram possessionem acquirat? & quis hypothecam constituere, & cui, & in qua re, & quomodo constitui possit considerandum venit.

78. Constituitur hypotheca. I. IPso JURE idq; (1.) ex tacitâ sive præsumpta conventionione, prout contingit in invecctis & illatis in prædium urbanum pro pē- sione. *l. item quia. 4. pr. D. de pact. l. eo jure. 4. pr. l. licet. 6. D. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. solutum. 11. §. solu- tam. 5. in fin. D. de pign. act.* | modo eo animo ut ibi sint [perpetuo non temporis causa. *arg. l. debitor. 32. D. de pignor. & hypoth.*] inveccta fuerint. *l. in prædiis. 7. §. fin. D. in quib. caus. pign. tac. cont.* & tales quæ in genera- lem hypothecam transire possunt, de quibus infra. th. 101. itē in fructibus prædii rustici pro Mercede. *l. in præ- diis. 7. pr. D. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. si in lege. 24. §. si colonus. 1. l. qui fidejussor. 53. D. Locati. l. quamvis. 3. Cod. in quib. caus. pign.* (2.) expressa constitutione Impe- ratoria, ut in bonis Tutorum & Curatorum. *l. pro of- ficio. 20. Cod. de Admin. & peric. Tut. l. unic. §. 1. Cod. de rei uxor. act. l. dabimusq; 19. §. ult. cum ll seqq. D. de reb. Auth. iud. possid.* non tantum minorum, sed & furio- sorum, prodigorum, bonorum, *d. l. 19. §. ult. cum. ll. seqq.* etiam matris si Tutrix fuerit, & Vitrici, si eum induxerit. *l. si mater. 6. Cod. in quib. caus. l. matres. 2. Cod. quand. mul. tut. off. fung. poss.* etiam in rebus ex pupillo- rum pecunia emptis. *l. sed si pecunia. 3. pr. D. de reb. eor. qui l. idemq; est. 7. pr. D. qui pot. in pign. l. si Tutor. tuus. 6. Cod. de serv. pign. dat. manum.* In bonis utriusque conjugis, tam ob dotem dandam, quam restituendam. *l. un.*

l.un. §. 1. Cod. de rei ux. act. In ipsis rebus dotalibus, si ab uxore repetantur. *l. in rebus. 30. Cod. de Iur. dot.* In bonis testatoris ob legata. *§. 2. I. de legat. l. 1. Cod. commun. de legat.* In bonis debitoris fiscalis tam ratione contractus, quam tributis. *l. Ælianus. 10. D. de Manu- miss. l. sed hic videtur. 2. D. de Reb. eor. qui. l. 1. 2. 4. Cod. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah. non poenæ ratio- ne. l. quod placuit. 37. D. de Iur. fisc. l. un. Cod. pæn. fisc. cred. lib. 10.* aut cum privato successit. *l. fiscus. 6. D. de Iur. fisc.* In bonis parentum respectu peculii Adventi- tii. *l. si quis. 8. §. in illo etiam. 4. Cod. de secund. Nupt. l. cum oportet. 6. §. ult. Cod. de bon. qualib. (3.) Ex Scto, in domo relecta. l. 1. D. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah. l. cre- ditor. 25. D. de Reb. credit. l. cum duobus. 52. §. idem respon- dit. 10. D. pro socio.* Et si quis alius tacitæ hypothecæ ca- sus occurrat, exemplo. *l. cum debitor. 8. D. in quib. caus. pign. tac. contrah. l. ult. Cod. de pign. C. I. A. th. 2. & seqq. in quib. caus. pign.*

79. II. Constituitur à Magistratu sive Prætore, idque vel tum, cum citra omnem Judicii strepitum in possessionem bonorum mittit, extra causam judicati. *tot. tit. Cod. de Prat. pign. l. misso legatario. 12. D. pro Empt. l. qui legati. 5. Cod. ut. in possess. legat. id quod v. g. ob contumaciam rei, aut damni infecti &c. contingit. l. 1. & tot. tit. D. quib. ex caus. in possess. eat. Schneidev. ad §. 7. inst. de act. n. 4.* vel ex causa judicati. *tot. tit. Cod. si in caus. jud. l. si ex causa judicati. 9. pr. D. de minor. l. sed si 3. §. pignori. 1. D. de reb. eor. qui. C. I. A. de pignor. th. 6. n. 4. & 5.* quorum prius Prætorium, posterius judiciale pi- gnus appellatur, de utriusque differentia vide Schnei- dev. *ad. d. §. 7. Inst. de act. n. 7.*

80. III. Constituere hypothecam potest, Do-
F
minus



minus Zoes. ad. tit. de pign. & hyp. n. 4. non tantum ille, qui plenam proprietatem cum usufructu conjunctam habet. l. & qua nondum. 15. §. quod dicitur. 1. D. de pign. & hypoth. l. 1. & ult. Cod. si res al. pig. dat. sit. l. interest. 6. Cod. de usufruct. etiam si ad tempus tantum dominium habeat, l. ubi autem. 4. §. sed & Marcellus. 3. D. de in diem addict. l. grege. 13. §. statuliter. 1. D. de pign. & hypoth. sed & is, qui nudam tantum proprietatem habet. l. Verbis Testamenti. 2. Cod. de usufruct. l. si convenerit. 18. §. si Nuda. 1. D. de pignor. act. nec impeditur Dominus, etiam si ista res jam antea obligata sive oppignorata, l. & qua nondum. 15. §. qui res suas. ult. D. de pign. & hypoth. fac. l. qui balneum. 9. §. ult. D. qui pot. in pign. aut communis. l. si probatum. 2. Cod. commun. divid. l. si fratres. 7. Cod. commun. utriusq. Iud. l. un. Cod. si commun. respign. dat. aut in peculio filii, arg. l. fidejussor. 26. §. Pater Sejo. 1. D. de pign. & hypoth. fuerit, idque non tantum pro debito proprio, sed etiam pro debito alieno. l. res hypotheca. 5. §. dare autem. ult. D. dict. tit. Et tam ipse, quam ex ejus consensu alius, puta Procurator. l. solutum. 11. §. si Procurator. ult. D. de pign. act. l. si inter. 21. pr. de pign. & hypoth. Servus. l. Paulus. 29. §. ult. D. dict. tit. Filius. l. nec si major. 4. Cod. si alien. res. pign. dat. Colonus, conductor, Actor, l. ult. Cod. dict. tit. sufficit etiam, si dominus ratum habuerit. l. aliena. 20. D. de pign. act.

81. Excipimus tamen hic (1.) Mulierem, si pro alio intercedat, l. redemptores. 39. §. ult. cum. l. seq. D. de Rei Vind. l. quidam voluit. 29. pr. l. si Mulier. ult. §. si Mulier. 1. D. ad Sctum Vellejan. l. si sciens. 7. Cod. dict. tit. l. Mulier. 11. Cod. de distract. pign. vel hypoth. nisi forsan alius rem mulieris, quasi suam, ignoranti creditori, dissimulante muliere, pignori dederit. d. l. 11. C. de distract. pign. fac. l. & primo.

primo. 2. §. *sed ita demum*. 3. D. *ad SCtum Vellejan.* (2.) illum qui rerum suarum non habet administrationem, & consequēter res suas alienare prohibetur. *arg. l. ult. C. si res alien. pign. text. in l. sancimus. ult. Cod. de reb. alien. non alien.* Cuiusmodi est pupillus, si sine Tutore. *l. i. pr. qua res pign. vel hyp. & decreto. l. i. §. & sunt verba. 2. D. de reb. eor. qui. rem obliget.* Idem de minore dicendum. *t. t. Cod. de prad. & al. reb. min.* etiamsi veniam ætatis impetraverit. *l. eius qui veniam. 3. Cod. de his qui ven. at at.* & ex eadem ratione id ipsum de furioso, prodigo, cui bonis interdictum, de eo cui testator alienationem prohibuit, debitore cui bona præclusa sunt, & si milibus personis prædicandum esse non dubitamus, *per. l. ult. Cod. de reb. alien. non alienand.*

82. IV. Constituit hypothecam is, qui jus aliquod in re habet. Cuiusmodi est Emphyteuta. *Zoef. in tit. de pign. & hypoth. n. 4. l. Tutor. 16. §. etiam vectigale. ult. D. de pign. act. l. lex vectigali. 31. D. de pign. & hyp. quod si tamen Canon non solvatur in re Emphyteutica, expirat hypotheca. d. l. 31. de pign. & hyp. l. sane. 17. D. de pign. act. (2.) Superficiarius. d. l. Tutor. 16. §. etiam vectigale. ult. d. l. 17. de pign. act. l. Grege. 13. §. & in superficiarius. 3. D. de pign. & hypoth. l. etiam. 15. D. qui pot. in pign. Vbi tamen Domini, ratione solarium, potior causa est, d. l. 15. D. qui pot. in pign. (3.) bonæ fidei possessor, qui publicianam habet, *l. si ab eo. 18. l. si inter columnum. 21. §. si debitor. 1. D. de pign. & hypoth. l. si rem alienam. 29. D. de pign. act. (4.) Vusufructuarius. non quidem proprietatem. l. interest. 6. C. de usufruct. sed ipsum usufructum. l. si is qui. 11. §. usufructus. 2. D. pign. & hypoth. vel fructus etiam futuros. l. & quæ nondum. 15. pr. dict. tit. l. fructus. ult. D. de usur. l. fructus. 72. D. de**



Reg. Iur. etiam ipsi proprietario, *l. si is qui. II. §. 2. l. & qua. 15. pr. D. de pign. & hypoth.* Per tradita superiori, *th. 24.* unde infertur tam usumfructum formalem, ab usufructuario, quam causalem à proprietario oppignorari posse. (5.) Is qui servitutum prædii rustici habet, si modo etiam alteri utilis esse possit. *l. sed an Vie. 12. D. de pign. & hypoth. videatur supra th. 23.* (6.) Creditor ipsam rem sibi oppignoratam. *l. grege. 13. §. cum pignori. 2. D. de pign. & hypoth. tot. tit. Cod. si pign. pignor. dat. sit. l. 40. §. ult. D. de pign. act. l. de Accessionibus. 14. §. & si mihi. 3. D. de divers. & temp. præscript.* non tamen in plus, quam ei res est oppignorata. *l. Nomen. 4. Cod. que respign. solvente tamen primo debitore, jus secundi creditoris expirat. d. l. 40. §. ult. de pign. act. l. 1. Cod. si pign. pignor.*

83. Excludimus tamen hic (1.) illum, qui servitutum prædii urbani habet, quia alteri vix utilis esse potest. *l. si is qui. II. §. ult. junct. l. seq. D. de pign. & hypoth. fac. l. 1. D. de usu & usufr. leg.* (2.) Vasallum. *cap. un. pr. de prohib. feud. alien. per Frider. cap. 1. in fin. de Invest. de re alien. fact.* nisi forsan ipsi Domino. *c. 1. de defeud. Berlich. 2. concl. 29. n. 25.* Exemplo eorum quæ tradita sunt supra *th. 24.* Judiciale tamen pignus in Feudo citra domini consensum posse constitui, idque in Camera receptum & cõclusum esse, asserit *Gail. 1. obs. 117. n. 1. & seqq.* nimirum per immissionem in fructus feudales, prout communiter statuunt *Dd. per l. commodis. 40. D. de re Iudic. Carpzov. in Iurisprud. forens. part. 2. const. 25. defn. 5. n. 2.* idque in subsidium, si cætera bona deficiant, *l. stipendia. 4. Cod. de Execution. rei judic.* quæ immissio sive executio tamdiu effectum habet, quamdiu durat jus Vasalli, nihil enim Juris quo-
ad

ad feudum, in creditorem transfertur. *Gail. d. observ.*
117. n. 2. & 3.

84. V. Constituunt hypothecam, qui habent
rei administrationem, *Zoef. in tit. de pign. n. 4.* cujus-
modi sunt. (1.) Administratores Reipublicæ, pro pecu-
nia in utilitatem Reipublicæ mutuo sumpta. *l. si is qui*
bona. 11. pr. D. de pign. & hypoth. junct. l. civitas. 27. D. de
reb. cred. (2.) Tutores & Curatores in rebus pupillo-
rum, minorum, furiosorum, si in rem eorum pecu-
niam mutuam acceperint. *l. Tutor. 16. pr. D. de pign. act.*
quod si pro propriis debitis res pupillares obligassent,
non contrahitur hypotheca. *l. Curator. 3. Cod. si alien.*
res. pign. nisi pupillus major factus ratam habuerit ob-
ligationem. *l. si in rem suam. 7. Cod. d. t.* (3.) Procuratores,
si vel habeant speciale mandatum. *l. solutum. 11. §. ult. D.*
de pign. act. l. si inter. 21. pr. D. de pign. & hyp. vel insequatur
ratificatio domini. *d. l. 21. d. t.* aut pecunia mutuo sum-
pta in utilitatem domini versa sit. *l. 1. Cod. si alien. res*
pign. aut si libera administratio ei sit concessa. *arg. l. si*
convenerit. 18. §. ult. D. de pign. act. cum similib. aut uni-
versorum bonorum administratio mandata sit, & do-
minus sub pignoribus pecuniam accipere solitus fue-
rit. *l. vel universorum. 12. D. d. t.* (4.) filius, & (5.) ser-
vus, qui habent liberam peculii administrationem. *l. si*
convenerit. 18. §. ult. de pign. act. l. eadem. 19. D. d. tit. l.
naturaliter. 13. pr. D. de Cond. Indebit. fac. l. si liberam. 10.
Cod. quodcum eo, qui in al. potest. (6.) Prælatus in casu
necessitatis. *Authent. hoc jus. Cod. de SS. Eccles.*

85. Potest autem pignus vel hypotheca consti-
tuitur cuilibet, modo creditor sit, *l. res hypothecæ. 5. D. de*
pign. & hypoth. l. solvitur. 5. §. si paciscatur. 1. l. ult. D. quib.
mod. pign. l. in omnibus 43. D. de solution. nec interest ex



quo contractu debitum descendat, reali, ut ex mutuo,
 dote; an consensuali, ut emptione venditione, loca-
 tione conductione: an purum sit, an conditionale: an
 præcedat, an sequatur constitutionem (modo implea-
 tur postea conditio: aut principalis obligatio in effe-
 ctum deducatur.) *l. 1. pr. D. qui pot. in pign. l. 1. & 2. Cod. si pign. convent. numerat.* an principalis sit, an accesso-
 ria, ut usurarum, & poenæ. *l. si necessarias, 8. §. ult. l. so-
 lutum. II. §. si in sortem. 3. D. de pign. act. l. secundus. 22. C. de pign. & hypoth.* an debitum proprium, an alienum.
l. res hypotheca. §. ult. D. de pign. & hypoth. (modo ex-
 ceptione S^cti Vellejani, aut Macedoniani non elida-
 tur. *l. si alius. 2. D. qua res pign.*) an pro integro debito,
 an pro parte. *d. l. 5. D. de pign. & hypoth. l. Pomponius. 5. §. Item illud. 1. D. in quib. caus. pign.* an ex jure civili, an
 Prætorio descendat. *d. l. 5. de pign. & hypoth.* Imo etiam
 ex naturali obligatione. *d. l. 5. l. quesitum. 14. §. ex qui-
 bus. 1. D. dict. tit.* (non tamen ex mere civili. *l. si alius. 2. D. qua res pign.*) in tantum, ut etiam *C. I. A. de pign. & hypothec. th. 9.* non dubitaverit generaliter definire,
 qui contrahere possunt, iisdem & pignus recte consti-
 tuitur.

86. Pignus itaque & hypotheca constituitur, tū
 ipsi creditori, tum ei, qui in ejus potestate est, ut filio,
 aut servo. *l. si creditor. 28. §. si servus. 1. D. de pign. act.*
 tum ei qui à Domino mandatum habet. *l. si inter Colo-
 num. 21. pr. D. de pign. & hypoth.* non tamen per liberam
 personam alteri pignus acquiritur. *l. etsi. 16. Cod. dict. tit. l. solutum. II. §. per liberam. 6. D. de pignor. act.* An
 per Tutorem & Curatorem acquiritur pignus? Negat
d. l. II. §. 6. quam intelligimus si proprio nomine pignus
 acceperint, arg. *l. etsi. 16. Cod. de pign. & hypoth.* Secus
 tam en

tamen si nomine pupilli accepissent. *arg. l. etsi. 2. t. sibi.*
4. Cod. quand. ex fruct. tut.

87. Nec dubitandum, quod etiam illis pignus & hypotheca rectè constituatur, qui res suas aliis obligare nequeunt, cujusmodi est pupillus & similes, cum pignus vel hypothecam accipiendo melior fiat conditio creditoris. *arg. pr. inst. de Author. Tut.* quod in hypotheca forsitan minus habet dubii, in pignore vero, ob metum pignoratitiæ actionis secus se res habet. *l. pupillo. 38. D. de pignor. act.* nisi dicamus ex una tantum parte valere contractum pignoratitium. *d. pr. Inst. de Author. Tutor.*

88. De eo, qui prohibetur emere, quæritur, an is pignus accipere possit? Vbi cum distinctione, ut respondeamus, opus est: Nam si res ipsa quidem in commercio esset, persona autem esset prohibita, tum nec pignori accipere potest. *l. ult. Cod. de reb. alien. non alienand.* ut nec eo casu ubi res esset extra commercium. *l. 1. §. ult. D. que res pign. vel hypoth.* at si tantum ratione loci quis prohibeatur emere, tum pignus accipere non prohibetur. *l. in quorum. 24. D. de pign. & hypoth.*

89. De rebus oppignorandis sciendum pignoris aut hypothecæ nomine obligari posse. (1.) Res quæ sunt in bonis vel dominio nostro. Schneidevv. *ad. §. ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 4. l. contrahitur. 4. D. de pign. & hypoth.* sive ea mobilis sit. *l. 1. §. ult. D. que res pign. ut servus. l. 1. §. servo. 1. l. servum. 27. l. Paulus. 29. §. si sciente. ult. D. de pign. & hypoth.* Etiam statuliber. *l. grege. 13. §. statuliber. 1. D. dict. tit.* Sive immobilis, ut fundus. *l. 1. §. ult. l. si fundus. 16. pr. D. d. t. tam præsentis quam futuræ, ut fructus. l. & que 15. pr. D. d. t.*

d. t. etiam antea obligata. l. & quæ. 15. §. ult. D. d. t. l. si quis. 36. §. fin. D. pign. act. Et communis. l. un. Cod. si commun. respign. dat. sit. Etiam nuda proprietas. l. si convenerit. 18. §. nuda. 1. D. de pign. act. (2.) Res quæ sunt ex bonis nostris, ut res pignorata. tot. tit. Cod. si pign. pign. dat. Emphyteuticæ, superficiariæ. l. Tutor. 16. §. etiam vectigale. ult. cum l. seq. D. de pign. act. bona fide possessæ. l. si ab eo 18. D. de pign. & hypoth. Vsfu. Etuariæ. l. si is qui. 11. §. usufructus. 2. D. d. t. (3.) non tantum res singulæ, sed etiam universitas, tam Juris. §. sed olim quidem. 2. ibi. hypothecariam. Inst. de Legat. l. 1. Cod. commun. de legat. quam facti, ut taberna. l. cum tabernam. 34. pr. D. de pignor. & hypoth. Grex. l. Grege. 13. pr. dict. tit. (4.) Item etiam res incorporales, ut usufructus. l. si is qui. 11. §. usufructus. 2. D. de pign. & hypoth. Servitutes rusticæ. l. sed an Vie. 12. D. de pign. & hypoth. Nomen aut Chyrographum. l. nomen. quoq. 4. Cod. quæ res pign. oblig. sive actio. l. 1. Cod. de Prat. pign. (5.) Spes. arg. l. spemeorum. 5. Cod. quæ res pign. quia etiam emi potest. l. nec Emptio. 8. §. aliquando. 1. D. de contrah. empt. l. ex empto. 11. §. ult. cum l. seq. D. de act. empt. quod autem emptionem recipit, etiam oppignorationem recipere potest. l. sed & quod. 9. §. quod emptionem. 1. D. de pign. & hypoth.

90. Vltcrius illud notandum, quod etiam in speciali hypotheca, non tantum ipsa res oppignorata, sed etiam accessiones, contineantur. v. c. Illud quod per Alluvionem accrevit. l. si convenerit. 18. §. si nuda. 1. D. de pign. act. l. si fundus. 16. pr. D. de pign. & hypoth. & si cui nuda proprietas fuisset obligata, deinde usufructus cum proprietate consolidetur, etiam usufructus continebitur. d. l. 18. §. 1. D. de pign. act. Ita ædificium
aræ

Areæ obligatæ impositum, aut veteri destructo inædificatum, *l. domo pignori. 21. D. dict. tit. l. si fundus. 16. §. si res hypotheca. 2. l. Paulus respondit. 29. §. domus pignori. 2. l. ult. D. de pign. & hypoth.* continentur etiam sub pignoris nexu, quæ ex ipsa re proveniunt, ut fructus, tam animalium, *l. Paulus. 29. §. si mancipia. 1. l. grege. 13. pr. l. fidejussor. 26. §. ult. D. de pign. & hypoth.* quam prædiorum, *arg. l. fructus. 44. D. de rei vind. l. certum. 22. Cod. dict. tit. l. ult. §. fructus. 6. D. quæ in fraud. credit. l. si servus. 61. §. locavi. 8. D. de furt.*

91. Servo tamen oppignorato, peculium non continebitur, *l. 1. §. servo. 1. D. de pign. & hypoth.* nec sylva oppignorata, cedunt ea, quæ inde nata factæ sunt, *l. si convenerit. 18. §. si quis caverit. 3. D. de pign. act.*

92. Res quæ oppignorationem & hypothecam respuunt, sunt. (1.) Res extra commercium constitutæ, ut res litigiosæ, *l. 1. §. ult. D. quæ res pign.* Res sacre, nisi in casu summæ necessitatis, *l. sancimus. 21. Cod. de SS. Eccl. quibus annumeramus res ecclesiæ immobiles. c. nulli liceat. 5. extr. de reb. Eccl. alien. junct. l. ult. C. de reb. al. non alien. religiosæ. l. si monumento. 3. Cod. quæ res pign. l. invito. 2. Cod. de relig. & sumpt. fun.* eadem ratione etiam res sanctæ, communes, publicæ, universitatis, quia & istæ hominum commercio exemptæ sunt, *§. & quidem. 1. cum seqq. §. universitatis. 5. §. nullius. 7. Inst. de rer. divis. junct. d. l. 3. C. quæ res pign. d. l. 2. C. de relig. & sumpt. fun.* (à quibus tamen omnino separandæ sunt res, quæ in patrimonio Reipublicæ vel Ecclesiæ deprehenduntur, *l. sed celsus. 6. pr. l. qui Tabernas. 32. D. de contrah. empt. §. sacra. & ibi Locam. in not. inst. de rer. divis.*) liber homo, *l. qui filios. 6. Cod. quæ res pign. l. ult. D. dict. tit.* in tantum ut ne quidem harum rerum pi-

G

gnus

gnus convalescat, licet res sacra prophana, publica privata, liber homo servus factus sit. §. *idem juris est.* 2. *inst. de inut. stipul. l. inter stipulantem.* 83. §. *sacram.* 5. *D. de verb. obl. l. servus.* 27. §. *servo.* 1. *D. de Adim. vel trās. leg. quāvis quoad alios juris effectus, liber homo bona fide possessus, non prorsus è commercio exemptus videatur. l. liber homo.* 19. *D. de acquir. rer. domin. fac. huc ea. qua. th.* 39. *notata sunt.*

93. His annumeramus. (2.) Res alienas. *l. si debitor.* 2. *l. aliena.* 20. *pr. D. de pign. act. l. 1. l. & qua.* 15. §. *quod dicitur.* 1. *D. de pign. & hypoth. l. ante omnia.* 23. *D. de probat. tot. tit. Cod. si res alien. pign. dat.* quarum tamen oppignoratio valet si dominus vel consentiat vel ratum habeat. *d. l. 20. pr. de pign. act.* vel oppignorans dominium nanciscatur. *l. item si.* 7. §. *sed et si filiusfam.* 2. *vers. plane. D. ad SCtum Maced. l. qui balneum.* 9. §. *ult. D. qui pot. in pign. l. filiam fratribus.* 56. *D. ad SCtum Trebell.* tum enim dabitur actio utilis hypothecaria. *l. rem alienam.* 41. *D. de pign. act. l. cum res.* 6. *Cod. si alien. res pign. dat.* (quod si tamen creditor sciverit, rem esse alienam, retentionem quidem habebit, difficilius actionem. *l. 1. D. de pign. & hypoth.* vid. Gothofr. *in not. ibid.* Bald. *d. loc.* qui putant dari hypothecariam contra debitorem, & qui ab ea causam habent, non contra tertium: & hoc velle JCtum per verba *difficilius dari*, post Obrecht. & Pac. *C. I. A. lib. 20. tit. 3. th. 2. n. 2. membr. 3.*) vel si sub conditione, si nimirum debitoris facta fuerit, hypotheca esset constituta. *l. si fundus.* 16. §. *alienares.* 7. *D. de pign. & hypoth. l. idemq.* 7. §. *si tibi.* 1. *D. qui pot. in pign.* Vel si res, quæ debitori in specie debetur, ante traditionem obligata fuerit. *l. creditor.* 3. §. *cum ex causa.* 1. *D. qui pot. in pign.* vel generalis hypotheca fuerit constituta.

stituta. *l. i. pr. l. & quæ nondum. 15. §. quod dicitur. i. D. de pign. & hypoth.* vel testator rem heredis obligasset, tum enim utilis dabitur actio. *l. si Titio. 22. D. de pign. & hypoth.* quamvis directa cesset, *l. rem alienam. 41. D. de pign. act.*

94. Rerum alienarum nomine hoc loco proprie non intelligimus illas res, in quibus quis habet jus aliquod in re, cujusmodi sunt res Emphyteuticæ, oppignoratæ, superficiariæ, usufructuariæ, bona fide possessæ, eas enim hypothecæ nomine obligari posse *supra th. 89.* probavimus. Quamvis non tam ipsa res, quam jus in re. (quod in quasi dominio habere dicimus, Gothofr. *ad Rubric. D. de acquir rer. Dom.* hinc etiam Jurium dominium dicitur, de usufructu est. *l. qui. 3. D. si usufruct. pet. l. in venditionem. 8. pr. D. de Reb. Auth. Ind. poss. l. liber. 118. inf. pr. D. de verb. obl. De servitute. l. semper. 15. §. ergo. 8. D. quod Vi aut clam. de pignore. l. voluntate. 10. §. ult. D. quib. mod. pign. De Emphyteusi. l. locorum. 11. Cod. de omn. agr. desert. 11. 58.) obligetur. *arg. l. interest. 6. Cod. de usufruct.* est enim res à jure in re realiter distincta. *§. incorporales. 2. inst. de reb. Corp. & Incorp.* intelligimus vero res conductas, commodatas, depositas, *arg. l. ult. Cod. si al. res pign. dat. l. mancipia. 4. Cod. de reb. alien. & similes.**

95. Feudum tamen quamvis sit in quasi dominio Vasalli. *2. feud. 8. pr. vers. rei antem.* qui etiam jus in re habet, in tantum ut à possessore quocunque, etiam ipso domino. *arg. l. i. in fin. D. si Ager. Vectig. i. e. Emphyt. pet.* quasi vindicare possit. *2. feud. 8. vers. rei antem, & 2. feud. 43.* oppignorare tamen non potest. *2. feud. 8. c. quamvis, 2.* ut nec servitus prædii urbani, qua de re *th. 83.*



96. In rationem diversitatis, si inquirat quis, cur aliena res vendi, non tamen oppignorari possit? respondebimus eam esse, quia venditor non tenetur nisi possessionem simplicem tradere, & se obligare de evictione, *l. ex Empto. 11. pr. D. de act. empt.* & sic ibi est jus quod in persona constituitur; sed in pignore constituitur jus in re, quod rem comitatur, ad quoscunque res perveniat, quod in aliena fieri non potest, post *Gloss. in l. rem alienam. 28. D. de contrah. empt.* & *Neguzant. de pign. 2. part. membr. 3. Schneidevv. ad §. ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 14.*

77. Neque tamen constitutio pignoris in re aliena prorsus omni effectu destituitur, siquidem non solum debitor, soluto debito, repetere rem istam oppignoratam per pignoratitiam actionem potest, haud secus ac si res propria esset obligata. *l. si rem alienam. 9. §. is quoq. 4. l. si pignore. 22. §. si Prado. 2. D. de pign. action.* sed etiam creditor pignoratitiam contrariam actionem habet, contra debitorem. *l. si rem alienam. 9. pr. l. si quis in pignore. 36. §. sed & si quis. 1. D. d. t. l. si Titio. 22. D. de pign. & hypoth.* ad id quod interest. *l. si in pignore. 54. D. de fidejuss. & mand.* sive sciverit, sive ignoraverit debitor rem fuisse alienam. *l. tutor. 16. §. 1. D. de pign. act. l. 1. pr. D. de pign. & hyp.* qui tamen si sciens fecerit, de stellionatu quoque tenetur. *d. l. 16. §. 1. l. 36. §. 1. D. de pign. act. l. ult. D. de crim. stellion. l. si pater. 2. Cod. d. t.* quamvis solvendo sit, nec periculum creditor habeat, *l. cum debitore. 32. de pign. act.* Si tamen ipse creditor scivisset rem esse alienam, nec debitor dominium eius postea nactus fuisset, denegandam ei actionem arbitramur. *d. l. 1. pr. D. de pign. & hypoth.*

98. Ex numero rerum oppignorandarum. (3.) eximimus

imimus res, quarum oppignoratio ex lege vel privilegio prohibita est, cujusmodi est fundus dotalis, §. 1. *inst. quib. alien. licet. vel non. tot. tit. D. de fund. dot. l. Vn. §. & cum lex Julia. 15. Cod. de rei ux. act.* Spes præmii quæ Athletis proponitur. *l. spem eorum. 5. Cod. qua res pign. Militum arma. l. qui commeatus. 14. §. Arma. 1. D. de re milit. junct. l. ult. Cod. de reb. alien. non. alien. & stipendia. l. stipendia. 4. Cod. de exec. rei judic.* Res minorum sine decreto. *tot. tit. D. & Cod. de præd. vel al. reb. min. non alien. vel oppign.* Instrumenta ad agriculturam necessaria. *l. executores. 7. l. si pignorum gratia. 8. Auth. Agricultores. Cod. qua res pign. lapis Molaris. Deuth. c. 24. vers. 6. Vestimentum viduæ. Deuth. d. c. 24. v. 17.*

99. Item (4.) res cuius usus in pignore esse non potest, seu in quibus non reperiuntur termini habiles ad oppignorandum, cujusmodi sunt servitutes prædiorum urbanorum, *l. si is qui. 11. §. ult. D. de pign. & hypoth.* aliam rationem, quare servitutes urbanæ obligari non possint, adducunt alii, nimirum ne aspectus urbis deformaretur. Schneidev. *ad. §. ult. 1. quib. mod. re contrah. obl. n. 13.* ubi tamen concludit, si ea ratio cesseret ipsam quoque hypothecæ obligationem procedere.

100. Similiter (5.) res vel à Testatore restitutioni subjectas. *l. si duobus. 3. §. sed quia nostra. 2. Auth. res quæ Cod. commun. de legat.* (nisi ob dotem vel donationem propter nuptias, in defectum aliorum bonorum. *d. Auth. res quæ.*) aut pacto contrahentium obligari prohibitas. *l. ult. Cod. de reb. alien. non alienand.*

101. Hæ res, de quibus hæctenus diximus, nec in generalem, nec in specialem hypothecam veniunt, de generali tamen animadvertendum, quod quædam

res in eam non veniant, quæ in specialem venire possunt, cuiusmodi sunt. (1.) Res Heredis: nam quamvis creditor testatoris habeat hypothecam generalem in omnibus bonis defuncti, heredis tamen bona aliunde quæsitæ, hoc nexu minime tenentur. *l. Paulus. 29. pr. D. de pign. & hypoth.* (2.) Res quibus carere non possumus ob quotidianum usum: ut supellex, vestis, mancipia, & ministeria necessaria. *l. obligatione generali. 6. cum l. seq. D. de pign. & hypoth.* (3.) Res in quas cadit affectio. Ut alumni. *l. 1. Cod. dict. tit. l. deniq. 8. D. de pign. & hypoth.* Concubina, filii naturales. *d. l. 8. d. tit.* & (4.) in genere, omnes res quas quis in specie se non obligaturum verosimile est, *d. l. obligatione 6. D. dict. tit. Nov. 39. c. 1. pr. ibi. ex generalibus hypothecis plurima per presumptionem exceperunt.*

102. Quamvis autem ex *§. item serviana. 7. Inst. de act.* hoc inferri posse videatur, quod subjectum, sive materia circa quam, pignoris sint res mobiles, quæ simul creditori traduntur, in eumque earum possessio transfertur, *l. Plebs. 238. §. pignus 2. D. de V. S. Hypothecæ vero subjectum sint res immobiles, quarum possessio apud debitorem permanet, l. si rem alienam. 9. §. proprie. 2. D. de pign. act.* tamen & rem immobilem, cuius possessio creditori tradita est, pignus esse. *l. creditor. 15. D. dict. tit. l. creditor. 12. §. à Titio. 8. D. qui pot. in pign. l. pactum 4. Cod. de pign. act.* & contra rem mobilem non traditam creditori, si obligata sit, hypothecam esse statuimus per *l. 1. D. de pign. act. junct. l. contrahitur. 4. D. de pign. & hypoth.* Schneidevv. in *§. 7. inst. de act. n. 91.* utriusq; ergo vera differentia in retenta vel translata possessione consistit, ea vero differentia quæ à mobili vel immobili sumitur, est à communiter accidenti. *d. §. 7. Inst. de action.*

103. Restat ut videamus quomodo pignus & hypotheca constitutur, ubi utriusque diversa prorsus apparet constituendi ratio: Pignus enim cum sit contractus realis, §. ult. inst. quib. mod. re contrah. oblig. non prius perficitur, quam si, prater consensum praestitum, ipsius rei traditio sive possessionis translatio interveniat. l. 1. §. creditor. 6. D. de obl. & act. hypotheca autem solum consensum desiderat. l. contrahitur. 4. l. grege. 13. §. & in superficiariis. 3. D. de pign. & hyp. l. 1. pr. §. si igitur 1. D. de pign. act. l. si tibi decē. 17. §. de pignore. 2. D. de pact. l. in re hypotheca. 4. D. de fid. Instrument. l. non solum. 33. §. si rem tuam. 5. l. iusto errore. 44. §. non mutat. 5. D. de usuc. l. cum constet. 2. l. ult. Cod. quae res pign. l. si probaveris. 2. Cod. de Remiss. pign. l. unic. Cod. etiam ob Chirograph. pecun.

104. Consensus exprimitur verbis. l. contrahitur. 4. D. de pign. & hypoth. l. ult. Cod. quae res pign. scriptura. d. l. 4. d. t. l. in re hypotheca. 4. D. de fid. instrum. Nov. 136. c. 6. l. fidejussor. 26. §. pater. 1. D. de pign. & hypoth. confessione. l. cum te pecuniam. 4. C. de pign. & hypoth. Nov. 136. c. 6. quocunque facto, modo probari possit. d. l. 4. D. de pign. d. l. 4. D. de fid. instrum. Exemplum est in l. creditor. 3. §. ult. D. qui pot. in pign. Item rati habitione. l. si fundus. 16. §. si nesciente. 1. l. si inter. 21. pr. D. de pign. & hypoth. Testamento vel codicillo. l. 1. Cod. commun. de legat. l. Lucius Titius. 12. D. de Alim. legat. l. fundus. 9. D. de Ann. legat. l. cum hi. 8. §. si uni. 15. D. de transact. Mandato d. l. 21. d. t. l. solutum. 11. §. ult. D. de pign. act. tum generali omnium bonorum. l. vel universorum. 12. D. de pign. act. tum cum libera administrandi facultate concessa. l. si convenerit. 18. §. ult. d. t. idem quoque sentiendum si filio vel servo libera peculii administratio fuisset indulta. d. l. si convenerit. 18. §. ult.

CUM

cum l. seq. dict. tit. vel etsi pecunia in rem domini fuisset
 versa. *l. 1. Cod. si alien. res.* aut aliquis in prioris creditoris
 locum successisset. *l. Aristo. 3. D. quæ respign. vel hyp. 101.*
tit. Cod. de his qui in prior. cred. loc. succ. tacitus quoq; cō-
 sensus in hypotheca generali tacita conspicitur. *l. item*
quia. 4. D. de pact. l. eo jure. 4. pr. l. licet. 6. D. in quib. caus.
pign. tac. quamvis illud Legislatoriæ quoq; potestati
 tribuendum sit. *l. un. §. 1. Cod. de rei ux. act. l. in rebus. 30.*
Cod. de jure dot. l. 1. Cod. commun. de legat. §. 2. inst. de legat.
l. 1. de in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. contrah.

103. Subjici hic omnino debuisset, qua ratione
 in pignoris constitutione, possessio tradatur, & in cre-
 ditorem transferatur, verum quia in tractatione quæ-
 stionis sequentis de possessionis translatione ex profes-
 so agendum erit, huius rei decisionem istum in locum
 magis opportunum rejicimus.

106. His ita præmissis ad quæstionem supra th.
 76. propositam respondemus per hypothecæ simplicē
 constitutionem debitorem non tantum dominiū reti-
 nere in re hypothecæ nomine obligata, (id quod hypo-
 theca cum pignore commune habet,) *l. cum & sortis. 35.*
§. pignus. 1. D. de pign. act. l. rescriptum est. 12. pr. D. de di-
stract. pign. l. statuliber. 38. §. ult. D. ad L. falcid. l. generaliter.
29. D. qui & à quib. manum. lib. l. itaq. 12. §. ult. de furt. l.
pignus. 9. Cod. de pign. act. Zoel. in dict. tit. n. 7. verum nec
 possessionem ad creditorem transire, sed apud debito-
 rem remanere. *l. si dominium. 9. Cod. de pign. & hyp. l. si de-*
bitor. 12. Cod. de distract. pign. l. si quidem. 13. Cod. de donat. int. Viri
& Vx. de pignore propriissime sumpto, an ejus transferatur pos-
 sessio nulla est quæstio, quia illud non sola conventionē, sed simul
 etiam possessionis traditione perficitur. *§. ult. inst. quib. mod. re*
contrah. obl. l. 1. §. creditor. 6. D. de obl. & act. §. item serviana. 7.
inst. de action. & ibi. Schneidevv. n. 75. & hæc quidem de
 præliminari quæstione prima sufficiant.

Strassburg, Diss., 1659-60


ULB Halle 3
005 607 590




TA → OL

1077







7.231

ANALYSEOS

L. Res pignoris. 37. D. de acquirend.
vel amittend. possess.
qua agit

1659 5

De

POSSESSIONE
CREDITORIS
IN PIGNORE

DISPUTATIO SECUNDA,
AUSPICE DEO OPT. MAX.
IN CELEBERRIMA ARGEN-
TORATENSIVM UNIVERSITATE,
solemnis exercitii gratia proposita

FRIDERICO DECKHERRO J.U.D.
Pandectarum Professore Ordinario,

RESPONDENTE
JACOBO CHRISTOPHORO MADERO,
Argentoratensi,

Die .15. Mensis Oct. hora & loco
consuetis.



ARGENTORATI,
Typis FRIDERICI SPOOR.

ANNO M. DC. LIX.